

No. 200. 1427. 3. März.

B. Nicolaus von Merseburg bestätigt dem Probeste und Conventualen des Thomasklosters ihre wegen der Bekleidung vormals erlangten Privilegien und Indulte. Vgl. No. 197.

Nicolaus dei gratia episcopus Merseburgensis ad perpetuam rei memoriam. Sane dilecti nostri Petrus praepositus, Jacobus prior totusque conventus canonicorum regularium monasterii sancti Thomae apostoli in Lipczk ordinis sancti Augustini nostrae diocesis sua nobis petitione monstrarunt, quod cum ex praedicta regula eiusque constitutionibus, sub quibus altissimo militia exercerentur spirituali, ad deferendum cappas minime artarentur, ex eo quod in his nulla de cappis mentio haberetur, sed dumtaxat dicitur in eisdem: Non sit autem habitus vester notabilis, ad cuius indicium et evidens exemplum multarum provinciarum et regnorum canonici regulares evidentia rei infallibili cappis minime utuntur, quibus considerationibus exacte ponderatis dicti nostri canonici regulares ex cuiusdam diocesani recolendae memoriae antecessoris nostri longe mediati assensu pariter et consensu literali accedente^{a)}, etiam usque ad praescriptionem ex huiusmodi literalis consensu habentem originem et causam praescribendi inter praesentes completam pallia, capucia, mitras et birreta nigri coloris paucis annis proxime praeteritis elapsis portare consuevissent; ideoque iidem canonici nobis humiliter supplicarunt, quatenus eos ad possessionem huiusmodi libertatis et iuris vel quasi portandi vestes huiusmodi in integrum restituere dignemur. Nos igitur eorum petitionibus rationabilibus favorabiliter inclinati, praesertim cum in tota Lipczk eiusque suburbiis et pluribus villis ad ecclesias parrochiales in Lipczk iure parrochiali pertinentibus sunt vigiles et rectores, cum etiam in religiosis non tantum habitus quantum professio attendatur, ad honorem omnipotentis dei almaeque universitatis studii Lipczensis decorem praefatos dominos Petrum praepositum, Jacobum priorem totumque conventum ad pristinam possessionem libertatis et iuris vel quasi gerendi pallia, capucia, pilleos et birreta nigri dumtaxat coloris in monasterio vel extra ubicumque locorum, certis temporibus in adventu et septuagesima exceptis, ubi in choro et processionibus in monasterio fiendis cappis uti consueverant, plenarie auctoritate nostra ordinaria in integrum restituimus et reintegramus eosque et quemlibet eorum restitutos et reintegratos volumus in perpetuum haberi et reputari ipsisque et cuilibet eorum ac omnibus eorum successoribus, quod sic ut praemittitur palliis, capuciis, pilleis et birretis libere uti valeant et possint, plenam et irrevocabilem tenore praesentium concedimus facultatem. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium praemissorum praesentes nostrae facultatis et indulti litteras exinde fieri iussimus nostrique maioris sigilli mandavimus appensione roborari. Datum et actum Merseburg anno a nativitate domini millesimo quadringentesimo vicesimo septimo indictione quinta pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Martini divina providentia papae quinti anno decimo, die vero lunae tertia mensis Marcii.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem grossen Siegel des Bischofs an einem Pergamentstreifen.

a) No. 177.